



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xli. Ad fractum crus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

bina, in vnum contundito, emplastrum facito, super locum affectum imposito: quinto die mutabis: carnem calidam ipsi dato.

Ad fractum.

ACCIPITREM fractum curabis, vt ante diximus esse curandum luxatum; ac vbi ipsum locum affectum calidis fomentis recrearis, sumito lanam succidam, eamque rosaceo oleo conspersam super locum affectum imposito; linteoque obligabis; in locum obscurum accipitrem abdes; quotidie calidum cibum dabis. Sunt qui inferuefactam axungiam ad fractum locum alligent, alij hircinum stercus, alij saponem imponunt.

Ad fractum crus.

SAPONEM, bulbos, cochleas, in vnum contrita, linteo illita super fractum crus imposito, & sanum facies. Alij pedes fouent, & suilla axungia inungunt, in loco obscuro collocant. Nonnulli argalicum cum absinthio veteri contusum affectæ parti imponunt. Alij ceram albam, marmor, cochleas, album liquorem oui, vnâ commiscent, & contundunt, in locumque

T

fractum imponunt, & ad sanitatem perducunt.

Ad accipitrem aucupari nolentem.

LASERIS filiquas treis, in aquam addito, Ligulas duas dato cum carne edendas per triduum. Quidam mandragoræ radice fumigant, & confestim promptum ad aucupandum reddunt. Alij argemonia fumigant: sed & carnes, quas comedit, suffitu lustrant.

Ad euulsionem vnguium.

CVM accipitris vnguis excussus est, si excussum inueneris, illum reponito; sin minus, alium vnguem mollem accipitris sumito ipsius digiti, qualiscumque est siue medij, siue calcaris. ita sanabis. Sanguinem pulli columbini, aut ramentum taurinæ collæ, quantam tribus digitis capere possis, comburito, donec in puluerem redactum sit: deinde mastichæ sumito granatrua, myrrham, thus, arsenicum, trita super vnguem imponito cum sanguine columbæ feruenti, & reple ipsum vnguem, ac infige in locum, vnde excidit: facito ex dura pelle loculamentum pro magni-